

sent papæ Gregorio, is mandavit Sabino defensori Sardiinæ, ut tam mulieres, cum quibus illa commisisse asserebatur, quam alios de ea re conscios Romam adduci curaret, seu ut ibi notant Hostiensis, et alii canonistæ, eorum examen eo mitteret, ut sic veritas aperiri posset. Sic Glossa, in cit. cap. *Quoniam* in principio; Pirrhing, *l. c.*, n. 70; Reiffenstuel, *l. c.*, n. 92; Farin., cit. q. 59, n. 9, allegans plurimos alios.

(52. Item de jure canonico possunt feminæ esse testes etiam in crimine hæresis, læsæ majestatis, Simonæ, et aliis exceptis criminibus. *Communis*, per text. in c. *In fidei favorem* 5, De hæreticis, in 6, cap. *Tanta* 7, et c. *Per tuas* 32, De Simonia, cum similibus.

(53. Item de jure canonico possunt feminæ esse etiam in causis criminalibus testes, quando non possunt haberi aliæ probationes; vel quando agitur ad defensionem alicujus, seu ad probandam ejus innocentiam; et generaliter in omnibus illis causis, in quibus de jure canonico possunt esse testes etiam personæ infames; in ipsis possunt etiam, ac multo magis feminæ esse testes. Glossa in cit. can. *Mulierem* 17, verb. *Nec testis*, caus. 33, qu. 6; Reiffenstuel, *l. c.*, n. 62; Pirrhing, *l. c.*, n. 77; Farin., cit. q. 59, n. 8 et 10 et seq., et alii passim. Unde, vide dicta supra a n. 20.

(54. De jure civili possunt feminæ, dummodo non sint criminosæ, aut infames, esse testes etiam in causis criminalibus criminaliter motis. *L. Ex eo* 18, ff. *De testibus*, et l. *Qui testamento* 20, § *Mulier*, ff. *Qui testamenta facere possunt*. Ita Abbas, in cit. c. *Quoniam* 3, n. 2, De testibus; Clarus, in *Practic.*, § fin., q. 24, n. 2; Mascard., *l. c.*, concl. 762, n. 14; Farinac., cit. q. 59, n. 17; Pirrhing, *loc. c.*, n. 68, testans de communi.

(55. Dicitur autem notanter, *Dummodo non sint criminosæ, aut infames*, quia istæ, ut quæ corpore palam ac sine defectu quæstum fecerunt, nec de jure civili possunt in causis criminalibus criminaliter motis esse testes; *L. Testium* 3, § 5, et ibi Glossa, verb. *Quæ palam*, ff. *De testibus*.

(56. Item neque de jure civili possunt feminæ esse testes in causis criminalibus valde gravibus et arduis, ut cum agitur de pœna mortis inferendæ, tunc enim etiam tres feminæ contestes reum non convincunt, et id propter exceptiones ex earum sexu resultantibus, cum feminæ suapte natura sint nimis mutabiles, fragiles ac inconstantes. Mascard., *l. c.*, num. 14; Farinacius, *l. c.*, n. 21, 23 et 26; Pirrhing, *l. c.*, n. 68, et alii.

(57. Pupilli seu impuberes regulariter in nulla causa, sive civili, sive criminali possunt esse testes, et hoc ob defectum, seu infirmitatem sui iudicii, aut consilii, textu claro in *L. Testium* 3, § 5, et ibi Glossa, verb. *Impubes*, et verb. *Lubricum*, ff. *De testibus*, l. *Inviti* 19, ff. eod. can. *Infamis* 1, causa 3, q. 7, ibi: « Et impubes, quia iudicio caret. » (58. Unde impuberes neque possunt esse testes in testamentis, textu expresso in

§ *Testes autem*, § 6, institut. *De testamentis ordinandis*, l. *Hac consultissima* 21, cod. *De testamentis*.

(59. Dicitur autem notanter *regulariter*, quia variis casibus possunt impuberes esse testes. Et signanter pro matrimonio contrahendo in locis recepti concilii *Tridentini*, sess. xiv, cap. 1, *De reform. matrimonii*; duo enim testes præter parochum ibi a concilio requisiti possunt etiam esse impuberes; dummodo sint rationis compotes et bene percipiant quid agatur; concilium enim *Tridentinum*, *loc. cit.*, duos vel tres testes simpliciter, et sine ullius peculiaris qualitatis mentione ad valorem matrimonii requirit. Ubi autem lex non distinguit inter puberes et impuberes, neque non distinguere debemus, cap. *Quia circa* 22, De privil., et l. *De pretio* 8, De Publiciana in rem actione; si enim illos voluisset puberes, expressisset, quia, quod voluit expressit, arg. cap. *Inter corporalia* 2, De translatione episcop., § *Sed neque istud*, cap. *Ad audientiam* 12, De decimis, adeoque, etc. Et sic expresse tenent Barbosa, part. ii *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 32, n. 138; Sanchez, lib. iii *De matrimonio*, disp. 41, num. 4 et 5; Layman, lib. v *Theolog. moral.*, tract. 10, part. ii, cap. 4, n. 6; Reiffenstuel, lib. ii *Decretal.*, tit. 20, num. 74, et lib. iv, tit. 3, num. 103, et alii passim.

(60. Item impubes factus pubes testificari potest de iis, quæ vidit in impubertate sua, Glossa in l. *Testium* 3, verb. *Impubes*, ff. *De testibus*; Farin., q. 58, n. 55, allegans alios; Speculator, tit. *De teste*, § 1, n. 35, asserens ita tenere omnes, Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 77. Et ratio est, quia pubes factus non prohibetur ullo jure testificari de iis, quæ vidit tempore suæ impubertatis, adeoque debet admitti, l. *Testimoniorum usus* 1, § 1, ff. *De testibus*, ibi: « Adhiberi quoque testes possunt non solum in criminalibus causis, sed etiam in pecuniariis litibus, sic ubi res postulat, et hi, quibus non interdicitur testimonium, nec ulla lege a dicendo testimonio excusantur. » Concessum enim intelligitur, quod expresse non prohibetur, uti habet Glossa marginal. communiter recepta in cap. *Inter corporalia* 2, De translatione episcop., verb. *Non invenitur*, arg. l. *Mutus* 45, § 1, ff. *De procuratoribus*, et cit. l. *Testimoniorum usus* 1, De testibus.

(61. Item impuberes pubertati proximi possunt esse testes in revelanda occisione sui domini, et similibus, textu expresso in l. *Excipiuntur* 14, ff. *De S. C. Syllaniano*; Farinac., d. q. 58, n. 15, 16 et 18, cum aliis ibi citatis; Speculator, *loc. cit.*, n. 34; Reiffenstuel, *loc. citato*, num. 76, et alii.

(62. Item tales impuberes possunt esse testes in crimine læsæ majestatis. *Communis*, arg. l. *Nullus*, cod. *Ad legem Juliam Majestatis*.

(63. Item in crimine hæresis. *Communis*, per text. in cap. *In fidei* 5, et cap. *Accusatus*, 8, § *Licet*, De hæreticis, in 6.

(64. Item quando aliæ probationes haberi non possunt, seu veritas aliter haberi non

potest, quam per tales impuberes, per dicta a simili de infamibus supra a n. 20. Vide ibi.

(65. Puberes minores viginti annis non possunt regulariter esse testes in causis criminalibus. Farinacius q. 57, n. 10 et 23; Speculator, tit. *De teste*, § 1, num. 34; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 75; Reiffenstuel, *loc. citato*, num. 70, et alii passim per clarum textum in l. *In testimonium* 10, ff. *De testibus*, et in can. *Testes* 3, § *In testimonium*, caus. 4, q. 2, quo utroque in loco sic præcise statuitur: « In testimonium accusator citare non debet eum, qui in iudicio publico reus erit, aut qui minor viginti annis erit: » ubi Glossa final. istud recte intelligit in causa criminali, uti etiam non obscure indicat ly *accusator*.

(66. Dicitur autem notanter *regulariter*, quia tales puberes minores viginti annis possunt esse testes in criminibus exceptis, et quando aliter veritas haberi non potest, cum in similibus, ut dictum est supra n. 62, possint esse testes etiam impuberes, adeoque a fortiori puberes, licet minores viginti annis. Farinacius, q. 57, n. 29, cum pluribus aliis ibi citatis, Alexander, con. 61, n. 5 et 6, l. 1; Mascard., *De probationibus*, conclus. 1253, n. 7; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 84, et alii passim.

(67. Puberes majores viginti annis, quamvis adhuc sint minorenes, seu minores viginti quinque annis, possunt esse testes in causis criminalibus, prout colligitur clare a sensu contrario ex cit. l. *In testimonium* 20, ff. *De testibus*, et c. can. *Testes* 3, § *In testimonium*, caus. 4, q. 2; Reiffenstuel, *l. c.*, n. 83; Farinac., q. 58, n. 19 et 21, citans plurimos alios, quia appellans hanc sententiam verissimam, et magis communiter receptam, quamvis nonnulli sentiant contrarium.

(68. Puberes minores viginti annis possunt ordinarie esse testes in causis civilibus. *Communis*. Et ratio est, quia tales puberes nullibi prohibentur esse testes in dictis causis civilibus; adeoque debent admitti per dicta, et jura adducta supra n. 60.

(69. Dicitur tamen notanter *ordinarie*, quia tales puberes minores viginti annis nequeunt esse testes in causis civilibus valde arduis, et magni momenti per dicta et jura adducta supra n. 38.

(70. Parentes regulariter prohibentur ferre testimonium pro filiis, et econtra filii pro parentibus. *Communis*, textu expresso in l. *Testis* 9, ff. *De testibus*, ibi: « Testis idoneus pater filio, aut filius patri non est. » l. *Parentes* 6, cod. *De testibus*, ibi: « Parentes et liberi invicem adversus se nec volentes ad testimonium admittendi sunt. » Et concordat can. *Si testes* 5, § *Testis idoneus*; et l. *Parentes*, caus. 4, q. 2. Et id propter naturalem affectionem, quam inter se gerunt, ob quam eorum testimonium redditur suspectum.

(71. Et hoc extenditur etiam ad omnes ascendentes et descendentes, tam in linea paterna, quam materna usque in infinitum, quia dicti omnes quantum ad propositum

veniunt appellatione parentis. *Communis*, textu expresso in l. *Appellatione* 61, De verborum signific., ibi: « Appellatione parentis non tantum pater, sed etiam avus, et proavus, et deinceps omnes superiores continentur, sed et mater, et avia, et proavia. »

(72. Dicitur autem notanter *regulariter*, quia plures sunt casus, in quibus valet testimonium patris, vel matris pro filio, et signanter in probanda filii ætate, quia parentes de ætate filiorum meliorem præ cæteris notitiam habent. *Communis*, per textum in l. *Etiā* 16, ff. *De probationibus*, ibi: « Etiā matris professio filiorum recipitur; sed et avi recipienda est. » (73. Talis autem testificatio parentum de ætate filiorum non facit simplenam probationem, sicut alterius testis extranei, si redundet in modum filii cum alterius præjudicio, sed solum præsumptionem aliquam, et leve indicium affert, nisi adminiculis adjuvetur, ut est v. gr. liber patris, in quo scripta est ætas filii, et hujusmodi, Mascard., *De probationibus*, conclus. 668, n. 12 et seq.; Farinac., q. 54, n. 178 et seq.; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 34; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 103, et alii.

(74. Item quando causa agitur inter duos filios; tunc enim parens potest esse testis pro uno contra alium, quia æqualis affectio, quam præsumitur habere erga omnes filios, tollit omnem suspicionem, arg. l. *Non solum* 67, § 1, ff. *De ritu nuptiarum*, ibi: « Quia par affectionis causa suspicionem fraudis amovet; » Mascard., conclus. 1148, n. 29; Farin., q. 54, n. 205; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 34; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 107, et alii.

(75. Item possunt parentes, alique consanguinei testes esse in causa matrimoniali filiorum, ubi agitur super consanguinitate, vel affinitate aliquorum, quia isti melius præ cæteris id scire præsumuntur. C. *Videtur* 3, Qui matrimonium accusare possunt, cap. *Licet ex quadam* 47, De testibus, can. *De parentela* 8, caus. 35, q. 6.

(76. Item parentes, alique consanguinei, aut affines utriusque sexus possunt esse testes, ubi agitur de matrimonio inter æquales contrahendo, et dubitatur, an vir et mulier sibi invicem promiserint, cit. cap. *Videtur* 3, Qui matrimonium accusare possunt, et cap. *Super eo* 22, juncta Glossa, verb. *Cum mater*, et Abbate, num. 8, ac Barbosa, *ibid.*, num. 4, De testibus; Farinacius, *De testibus*, q. 54, num. 191; Mascardus, *De probationibus*, concl. 1024, num. 23, cum pluribus aliis ibi citatis; Pirrhing, *loc. cit.*, num. 36; Reiffenstuel, *loc. cit.*, num. 110, et alii.

(77. Dicitur autem notanter *inter æquales*, quia si magna adsit disparitas inter contrahentes, ut si mulier longe superet, et excedat virum nobilitate, honore, potentia, divitiis, et hujusmodi, vel vir mulierem; tunc parentes, alique consanguinei, aut affines non censentur testes idonei, cum ob eorum affectionem et conjunctionem sanguinis, seu parentelæ semper præstantio-

res. aut locupletiores nuptias isti præcipiant, adeoque reddantur suspecti, ut expresse deciditur in cit. c. *Super eo* 22, De testibus, et tenet ibi Glossa, verb. *Cum mater*, et Abbas, n. 8, ac Barbosa n. 4 et 5; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 36. Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 111; Menoch., *De arbitrar. judic.*, lib. II, cas. 102, n. 6 et 7, et alii. Qui tamen recte concludunt, tale testimonium esse relinquendum iudicis arbitrio, ut inspecta qualitate personæ, et affectionis, dijudicet, qualis fides sit ipsi præstanda, ut cum aliis etiam advertit Ventriglia, tom. I, adnotat. 3, § 3, n. 2 et seqq.

(78. Maritus pro uxore, et contra uxorem pro marito regulariter testis esse non potest. *Communis*, per text. in can. *Si testes* 3, § *Idonei*, caus. 4, q. 2, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Imperari*, l. *Etiam jure* 3, cod. *De testibus*, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Etiam jure*, vers. *Quod in viro et uxore*: et id merito est statutum propter magnam affectionem, quæ est, vel præsumitur inter conjuges, aliis relictis non inferioribus motivis. (79. Et propter eandem rationem extenditur etiam ad sponsam de futuro, et ad concubinam, atque amasiam: Mascard., *concl.* 1428, n. 4 et 5. Farinac., qu. 54, n. 215. Pirrhing, *loco citato*, n. 37; Reiffenstuel, *loco citato*, n. 114 et 115, et alii.

(80. Consanguinei, et affines illius, qui ipsos producit ut testes pro se adversus extraneos, non sunt testes idonei; ipsi enim ob naturalem affectionem erga suos consanguineos, et affines redduntur nimis suspecti: *Communis*, per text. in l. *Testium fides* 3, in princip., ff. *De testibus*, et canone *Si testes* 3, § *Testium fides*, caus. 4, qu. 2, can. *Consanguinei* 1, can. *Accusatores* 2, can. *Accusatoribus* 3, et can. *Suspectus* 4, caus. 3, q. 5, c. *Absens per alium* 18, caus. 3, q. 9, cum similibus.

(81. Domestici ipsius producentis non sunt testes idonei: *Communis*, per textum expressum in cit. l. *Etiam jure* 3, cod. *De testibus*, ibi: « Etiam jure civili domestici testimonii fides improbat, » et concordat cit. can. *Si testes* 3, § *Etiam*, caus. 3, q. 2, ubi ipsissima tradita verba adducuntur, leg. *Testes eos* 24, ff. *De testibus*, ibi: « Testes eos, quos accusator de domo produxerit, interrogari non placuit. » Et concordat cit. can. *Si testes*, § *Testes*, ubi eademmet præcisa verba habentur, et cap. *In litteris* 24, De testibus, juncto ejus Summario sic præcise dicente: « Non sunt idonei testes quos actor de familia sua produxit. »

(82. Supradictæ autem conclusiones de marito et uxore, de consanguineis, et affinibus, et de domesticis, limitantur in variis casibus, et signanter quando pars adversa, contra quam supradicti testificantur, sponte eos ad ferendum contra se testimonium admittit; sive expresse, sive tacite nihil contra eorum testimonium opponendo; quisquis enim potest renuntiare favori pro se introducto, l. *Si quis in conscribendo* 29, cod. *De pactis*, cap. *Si diligenti* 12, De foro

competenti, cap. *Si de terra* 6, De privilegiis: adeoque, etc.

(83. Item consanguinei, affines et domestici possunt esse testes in casibus, ubi veritas aliter quam per ipsos haberi non potest, ut si agatur de commissis in domo, nemore aut alio loco secreto. Cap. *Veniens* 33, § final. *De testibus*, cap. *Exsecrabilis* 11, juncta Glossa, verb. *Juramento*, De testibus cogendis, cap. *Si testes* 3, § *Servi responsio* 4, qu. 3, l. *Consensu* 8, § 6, vers. *Super plagis*, cod. *De repudiis*, cum similibus.

(84. Item domestici possunt esse testes, quando sunt domestici utriusque partis, id est tam ejus pro quo, quam ejus contra quem producuntur; tunc enim cessat ratio suspicionis ob parem affectionem erga utrumque. Gabriel, *Com. conclus.*, lib. I, *De testibus*, *conclus.* 10, n. 68. Mascard., *De probationibus*, *conclus.* 533, n. 36; Farinac., qu. 55, n. 92; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 44, vers. *Limitatur quinto*, et alii passim.

(85. Item domestici possunt esse testes instrumentarii, et testamentarii; cum enim ipsi ad id sint ab utraque parte rogati, censentur etiam ab utraque approbati, adeoque nequeunt amplius reprobari, sub prætextu quod sint domestici. Arg. l. *Si quis* 17, cod. *De testibus*; Mascard., *conclus.* 534, n. 29 et 30, cum aliis ibi citatis; Farinac., qu. 55, n. 83; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 45, vers. *Denique*; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 139, et alii.

(86. Inimici testes esse non possunt contra eos, cum quibus gerunt inimicitiam. *Communis*, per claros textus in l. *Testium fides* 3, in princip., ff. *De testibus*, *authent.* *De testibus*, § *Si vero dicatur*, collat. 7, can. *Accusatores* 2, et can. *Accusatoribus* 3, qu. 5, can. *Si testes* 4, § *Testium fides*, caus. 4, qu. 2, cap. *Cum oporteat* 19, De accusationibus, cum similibus.

(87. Imo inimici contra suos inimicos nequeunt esse testes, neque in criminibus exceptis, ut hæresis, Simonia, læsæ majestatis, et hujusmodi. Cap. *Per tuas* 32, § *Nos vero*, De Simonia, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Inimici tui capitales*; Menoch., *De arbitrar. judic.*, lib. I, q. 29, n. 2, et 3; Mascard., *conclus.* 901, n. 2; Farinac., qu. 53, n. 5 et seq.; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 53; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 133, et alii passim.

(88. Parentes contra suos filios, et vicissim filii contra suos parentes in iudicio testificari non possunt. *Communis*, textu expresso in l. *Parentes* 6, cod. *De testibus*, ibi: « Parentes, et liberi invicem adversus se nec volentes ad testimonium admittendi sunt; » et concordat per expressa eadem verba can. *Si testes* 3, caus. 4, qu. 1.

(89. Parentum autem testimonium contra filios, et filiorum contra parentes admittitur in crimine læsæ majestatis, hæresis, et aliis atrocissimis exceptis criminibus. Clarus in *Practic. crimin.*, § final., q. 24, n. 22; Farinac., *De testibus*, qu. 55, n. 188 et 174; Mascard., *concl.* 403, n. 65; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 149; Glossa, in cap. *Laudabilem* 1, De conv. infidelium, verb. *Et Christiani*. Quod pugnantem pro patria, et fide pater in

filium, et filius in patrem insurgere debeat, argum. l. *Minime* 35, ff. *De religiosis et sumptibus funerum*; tum quia filii nascuntur patriæ seu reipublicæ, l. *Sicuti liberorum* 1, § 15, *De ventre in possessionem mittendo*. Et quidem magis quam parentibus, ut inquit Glossa in cit. l. *Sicuti liberorum*, § 15, vers. *Reipublicæ*, id probans ex l. *Postliminium* 19, § 7, *De captivis et postliminio*; et sic doctores passim, arg. c. *In fidei* 4, De hæret. in 6.

(90. Liberti contra patronos, et econtra patroni contra libertos non possunt esse testes, nec volentes, nec inviti. *Communis*, can. *Episcopus* 58, caus. 4, quæst. 2, can. *Si testes* 3, § *Ne patroni*, caus. 5, q. 2 et 3, l. *Libertorum* 12, cod. *De testibus*, ibi: « Libertorum adversus patronos illicitas atque improbas voces pœnæ objectione præcludimus, atque ita, ut non solummodo sponte prodire non audeant, sed ne vocati quidem in iudicium venire cogantur. »

(91. Exceptis tamen criminibus hæresis, læsæ majestatis, et aliis similibus atrocissimis per dicta, et adducta jura n. antec.

(92. Judæi nequeunt in iudicio esse testes contra Christianos. *Communis*, textu expresso in c. *Non potest* 24, caus. 2, quæst. 7, et leg. *Quoniam* 21, cod. *De hæreticis*, cum similibus.

(93. Item dicendum est de paganis, hæreticis, et quibuscunque aliis infidelibus. *Communis*, per text. in can. *Paganis* 23, et can. *Si hæreticus* 20, caus. 3, q. 7, cit. l. *Quoniam* 21, cod. *De hæreticis*, cum similibus.

(94. Prædictæ tamen duæ conclusiones limitantur in criminibus exceptis, ut hæresis, læsæ majestatis, et similibus; ac in casibus, in quibus veritas aliter, quam per ipsos haberi non potest. *Communis*, per textum in cap. *In fidei* 5, et cap. *Contra Christianos* 13, De hæreticis, in 6.

(95. Possunt insuper Judæi, alique infideles in instrumentis, contractibus et testamentis esse testes saltem si alii commode haberi non possint. *Communis*, textu expresso in cit. l. *Quoniam* 21, in fine cod. *De hæreticis*, ibi: « Cæterum testamentaria testimonia eorum, et quæ in ultimis elogiis, vel in contractibus consistunt propter utilitatem necessariis, usus eis sine ulla distinctione permittimus, ne probationum facultas angustetur. »

(96. Laici ordinarie non possunt esse testes contra clericos et religiosos in causa criminaliter mota. *Communis*, per claros textus in can. *Nullus laicus* 2, caus. 2, q. 7, can. *Beatus Petrus* 5, caus. 7, q. 1, cap. *De cætero* 14, De testibus, cum similibus.

(97. Nec valet objicere, quod laici possunt clericos, et religiosos accusare, et contra eos agere etiam in causa criminali, saltem si suam, vel suorum injuriam prosequantur, ut expresse dicitur in citat. cap. *De cætero* 14, De testibus, adeoque possunt etiam contra eos esse testes. Non valet, in-

quam, quia ultra quam quod in cit. cap. *De cætero*, statim additur: « Nec tunc etiam ad testimonium, sed ad accusationem possunt admitti; » stat adhuc evidens disparitas, quia testimonium dicere est majoris præjudicii, quam accusare, quia iudex tenetur ferre sententiam secundum allegata, et per testes, non autem secundum propositam accusationem, can. *Judices* 3, caus. 3, q. 7, l. *Rem novam* 14, cod. *De judiciis*, cum similibus.

(98. Dicitur autem in conclusione notanter ordinarie, quia secus est in criminibus exceptis, ut hæresis, læsæ majestatis, Simonia et hujusmodi, quia in istis, possunt laici testificari etiam contra clericos et religiosos, si zelo justitiæ, et non odii procedant. *Communis*, per text. in cap. *Tanta* 7, De Simonia, cap. *In fidei* 5, De hæreticis, in 6, cum similibus.

(99. Item notanter dicitur: *In causa criminaliter mota*, quia in causa criminali civiliter mota, sicuti in causis civilibus possunt laici esse testes contra clericos et religiosos. Argum. cap. *Quoniam* 3, cap. *Ex part.* 7, et cap. *De cætero*, 14, De testibus: sic Abbas, in d. cap. *De cætero* n. 7; Barbosa, *ibidem*, n. 3, argumento, a sensu contrario desumpto; Mascard., *conclus.* 1364, n. 44; Farinacius, q. 61, *De testibus*, n. 120, cum pluribus aliis ibi allegatis; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 58; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 164, et alii.

(100. Insuper possunt laici esse testes contra clericos et religiosos ob defectum testimonii ecclesiasticorum, quia v. g. crimen a clerico inter solos laicos commissum est, ut in villa, ubi nulli reperiebantur ecclesiastici. Et hoc ne alioquin crimina clericorum et religiosorum remaneant impunita, et ipsis præbeatur ansa impune delinquendi. Arg. cap. *Venerabilis* XI, De testibus cogendis, ibi: « Ne pro defectu testimonii pereat sua justitia; » Abbas, in cit. cap. *De cætero*, n. 3; Barbosa, *ibid.*, n. 3; Mascard., *loc. cit.*, n. 45; Farinac., *loc. cit.*, n. 107; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 58; Reiffenstuel, *loco cit.*, num. 167, et alii.

(101. Clerici et religiosi non possunt esse testes contra laicos in causa criminaliter mota. C. *Testimonium* 9, caus. 11, q. 1, juncta Glossa, *ibid.*, verb. *Recipiat*, et Archidiacon., *ibidem*, n. 3, argum. cit. cap. *De cætera* 14, De testibus; Mascard., *conclus.* 1533, n. 62; Pirrhing, *loc. cit.*, n. 59; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 168, et alii passim.

(102. Et ubi agitur de imponenda laico criminoso pœna sanguinis, non possunt clerici esse testes, nequidem in criminibus exceptis. Glossa, in cap. *Aliquantos* 1, dist. 50, verb. *Ad sacerdotium*; Covarruv., in Clementin. *Si furiosus*, part. II, § 6, n. 5; Farinac., cit. q. 61, n. 66 et 67; Felin., in cit. c. *De cætero*, n. 1; Mascard., *conclus.* 1357, n. 62. Pirrhing, *loc. cit.*, n. 59; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 150, et alii.

(103. Possunt tamen clerici esse testes contra laicos in causis criminalibus civiliter

motis, et in causis civilibus. Archidiaconus in cit. c. *Testimonium*, n. 1; Abbas, in cit. cap. *De cetero* 14, De testibus n. 1; Felin., *ibid.*, n. 1; Farinac., cit. qu. 61, n. 68 et seq.; Pirrhing. *loco cit.*, n. 60; Reiffenstuel, *loco cit.*, n. 179, et ipso teste, alii passim, argum. can. *Quanquam* 7, caus. 14, q. 2.

(104. Insuper clerici possunt esse testes contra laicos, ubi veritas aliter haberi non potest, non solum in civilibus et criminalibus civiliter motis, sed etiam in criminalibus criminaliter agitis, dummodo non agatur de imponenda poena sanguinis. Farinac., cit. q. 61, n. 71 et 72, cum aliis ibi allegatis, Felinus, in cit. cap. *De cetero*, n. 1, vers. *Fallit secundo*; Alexander, consil. 65, n. 7, lib. vii; Pirrhing. *loc. cit.*, n. 60; Reiffenstuel, *loco c.*, n. 173, et alii per textum in cit. can. *Quanquam* 2, caus. 14, q. 2. Et hoc ut ibi dicitur: « Ne veritas occultetur, et malus ut bonus aestimetur. »

(105. In dictis tamen, et similibus casibus clerici, et religiosi ad testificandum cogi non possunt per iudicem laicum; clerici enim, et religiosi sunt omnino exempti a jurisdictione fori laicalis. *Communis* textu expresso in cap. *Nullus iudicum* 2, De foro competenti, cum similibus. Vide verb. *Juramentum*, art. 2, n. 43.

(106. Unde si in defectu testium laicorum oportuerit clericum ferre testimonium, episcopus ejus ad requisitionem iudicis saecularis debet per se aut per alium examinare clericum, et ejus iudicalem depositionem sub sigillo suo transmittere ad iudicem laicum, textu expresso in can. *Quanquam* 2, caus. 14, qu. 2, ubi ex concilio Romano sub Eugenio Papa statuitur, quod in similibus casibus: « Ne veritas occultetur, et malus ut bonus aestimetur, in providentia proprii episcopi sit, ut aut coram se, et competentibus iudicibus, aut aliter honorifice veritatem testificentur. » Ita Archidiaconus in cit. can. *Quanquam*, n. 2; Abbas, in cit. cap. *Cum nuntius*, n. 3, et Felinus, *ibid.*, n. 3, De testibus; Mascard., conclus. 364, n. 51; Farinac., qu. 61, n. 84; Pirrhing, *loco cit.*, num. 60; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 177, et alii passim.

(107. Imo plures praefatorum doctorum volunt, quod in simili casu examen clerici contra laicum de licentia, et assensu episcopi, si ita expedire iudicaverit, possit etiam fieri per iudicem saecularem, quia, ut dicunt, de licentia episcopi potest clericus coram iudice saeculari testimonium ferre: Abbas, Mascard., Farinac., Pirrhing *locis cit.*, et alii. Ac favet textus in can. *Super prudentia* 1, in fine, caus. 14, qu. 2, ibi: « Sed si casu contractui eos interfuisse contigerit, jubente episcopo testimonium dicant; » et cit. can. *Quanquam* 2, ead. causa et qu., ibi: « Aut aliter honorifice veritatem testificentur. » Et ad id facit sequens decretum sacrae congregationis Immunitatis relatum a D. Petro Andrea Riccio in sua *Synopsi*, verb. *Testis*, n. 1, his praecisis verbis: Clericus absque licentia episcopi non potest testimonium

ferre etiam in causa civili coram iudice laico, sed pro licentia nihil est solvendum. In *Aquilana* 5 Maii 1637, lib. iii *Decretor.* Paul., pag. 30.

(108. Qui tamen Riccius in dicta sua *Synopsi* verb. « Facultas examinandi ecclesiasticos, et exemptos » adducit sequentia decem et octo decreta ejusdem sacrae congregationis Immunitatis, ibi:

1. Attentis circumstantiis particularibus temporum, de ordine sanctissimi datur emin. legato facultas examinandi pro quinque casibus, qui possunt occurrere etiam per alium (modo sit clericus) omnes personas ecclesiasticas utcumque privilegiatas, et speciali nota dignas cum praeservatione ab irregularitate pro hac vice tantum, et non transeat in exemplum, modo crimina sint gravia, et enormia, scilicet contra quietem publicam. *Bononien.* 8 Maii 1697, lib. ii *Decretor.* Vallem., p. 90.

2. Si veritas pro defensione rei aliunde haberi non potest, datur episcopo facultas, ut clerici possint in tribunali laico examinari in causa criminali pro defensione, praestito tamen prius juramento coram d. episcopo de servandis expressis in *Praxi Genuensi* cap. 33, n. 6, scilicet ut articuli, super quibus deponunt, non contineant criminalitatem, infamiam, negativam aut repulsam: et cum dispensatione ab incursu irregularitatis. Et detur salvis conductus clericis examinandis. *Mediolan.* 24 April. 1646, lib. iii *Decret.* Paul., pag. 379.

3. Supplicante carcerato a curia laica pro examine sacerdotis in ejus defensam, iungitur vicario generali, ut eum examinet, et postea communicet examen curiae saeculari. *Firmana* 19 Julii 1673, lib. i *Decretor.* Altoviti, p. 822.

4. Ad hoc ut Immunitas possit reintegrari, et justitia adimpleatur, quando aliter, et aliunde non potest justificari, an carceratio sit facta in loco Immuni? Conceditur facultas examinandi Fratres Ordinis Capuccinorum, *Praenestina* 7 Julii 1668; lib. i *Decret.* Altov., pag. 239.

5. Sanctissimus concedit facultatem ordinario examinandi regulares, et seculares exemptos in causa processus contra gubernatorem ob obsidionem positam Ecclesiis pro capiendis confugitis cum solita praeservatione: *Narnien.* 26 Julii 1672, lib. i *Decret.* Altov., pagin. 719.

6. Episcopo conceditur facultas examinandi potentatos Sanctae Domus in causa extractionis. *Lauretana* 2 Aprilis 1679, lib. i *Decret.* Altov., pag. 332.

7. Archiepiscopo conceditur facultas, ut mandet per suos iudices examinari equitem Christi super interesse cujusdam laici, et deinde tradat parti copiam authenticam examinis. *Neapolitana* 16 Septembris 1623, lib. *Script. Vet.*, p. 71.

8. In causa mortis ex veneno secutae Sanctissimus tribuit facultatem examinandi coram episcopo medicum sacerdotem, et consignandi examen curiae saeculari. *Tropien.*

30 Martii 1694, lib. i *Decretor.* Valleman., pag. 114.

9. Ut deveniatur in cognitionem furti, quatenusalii testes haberi non possint, conceditur vicario generali facultas examinandi sacerdotem. *Mediolanen.* 30 Julii 1678, lib. ii *Decret.* Altoviti, pagin. 4621.

10. Episcopus cum facultate S. Congr. praevio juramento coram se praestando ab ecclesiasticis, concedit facultatem iudici saeculari examinandi, et iisdem ecclesiasticis sese subjiciendi examini coram eodem iudice, praevia declaratione facienda per fidei utendi depositionem citra poenam sanguinis. *Ostunen.* 31 Maii 1704, lib. iii *Decret.* Valleman., pag. 584; *Eugubina* 9 Septemb. 1673, lib. i *Decret.* Alt., pag. 837.

11. Ex secretaria status jussu sanctissimi pro indaganda veritate quoad rapinas, et furta patrata in legationibus Ferrariae, etc. Datur vicario generali facultas examinandi mulierem existentem in conservatorio, ac etiam perquirendi in Hospitali: *Faventina* 6 Decemb. 1692, lib. i *Decret.* Vallem., pag. 9.

12. Datur eminentiss. legato facultas examinandi, annuente sanctissimo, etiam per alium (modo sit clericus) in causa furti sacrilegi vasorum sacrorum facti a Fratre laico, regulares Capuccinos, et cogendi etiam per censuras cum praeservatione ab irregularitate: *Ravennaten.* 1 Octobr. 1678, lib. ii *Dec.* Alt., p. 163. Similis facultas conceditur etiam quoad monachos Casinenses. *Bonon.* 14 Januarii 1679, lib. ii *Decret.* Alt., pag. 1699.

13. Ad hoc, ut dilucidari possit delictum resistentiae seu oppositionis armis factae contra curiam laicam, eminentissim. legatus Urbini ex mandato sanctissimi potest examinare clericum, eumque cogere in casu renitentiae cum solita praeservatione ab irregularitate: *Urbinate.* 27 Januarii 1694, lib. i *Decret.* Vallem., p. 101.

14. Datur eminent. archiepiscopo facultas cogendi monachos Coelestinos, non obstantibus eorum privilegiis, ad se subjiciendum examini in tribunali legationis, praestito prius juramento in curia Eccles. de dicenda veritate, dummodo agatur tantum iudicio civili. *Bononiens.* 30 Nov. 1697, lib. ii *Dec.* Vallem., pag. 122.

15. Conceditur gubernatori facultas examinandi ecclesiasticos in causa furti lampadae seculi in sacra aede Lauretana cum solita praeservatione ab irregularitate: *Lauretana* 23 Augusti 1667, lib. i *Decret.* Alt., pag. 147.

16. Jubente Sanctissimo datur gubernatori facultas in causa homicidii cujusdam canonici, ut possit examinare etiam per alium (dummodo sit clericus) personas ecclesiasticas et notarium vicarii foranei, et in casu renitentiae, eos cogendi, ac procedendi contra easdem, si culpabiles reperiantur, praemissa solita protestatione ad formam, cap. *Praelatis*, De homicid. in 6, sicque Sanctissimus eos praeservat ab omni irregularitate. *Reatina* 27 Decemb. 1682, lib. i *Decret.*

Vallem., p. 14; *Verrulana* 3 Decembr. 1693, d. lib. pag. 91; *Maceraten.* 16 Decembr. 1693, et 25 Aprilis 1694, dict. lib. pag. 11, et alibi.

17. Annuente Sanctissimo, in causa grassationis datur gubernatori facultas examinandi etiam alium (dummodo sit clericus) fratrem religiosum, qui parum distabat a loco commissae grassationis. *Spoletana* 22 Novembr. 1693, lib. i *Decret.* Vallem., pag. 87.

18. Conceditur episcopo facultas imperitiendi licentiam examinandi ecclesiasticos in causa homicidii, quando ex aliorum depositione nequeunt haberi probationes sufficientes ad justitiam subministrandam eum solita praeservatione, facta protestatione ad tenorem c. *Praelatis*, De homicid., in 6; *Eugubina* 9 Septembris 1673, lib. i *Decret.* Alt., pag. 837.

(109. An clerici et religiosi possint sine licentia suorum respective superiorum valide et licite esse testes in testamentis, instrumentis et contractibus laicorum. Vide verb. TESTAMENTUM, artic. 1, n. 24 et 25.

(110. Nemo potest esse idoneus testis in propria causa. *Communis*, textu expresso in l. *Nullus* 10, ff. *De testibus*, ibi: « Nullus idoneus testis in re sua intelligitur, » l. *Omnibus* 10, c. eod., ibi: « Omnibus in re propria dicendi testimonii facultatem jura submoverunt, » can. *Si testes* 3, § *Nullus*, et § *Omnibus*, caus. 4, q. 2 et 3, ubi ambae dictae leges canonizantur.

\* Cum Gratiani decretum, quantumvis pluries Romanorum Pontificum cura emendatum fuisse non ignoretur, vim ac pondus legis non habeat, quin imo inter omnes receptum sit, quidquid in ipso continetur, tantum auctoritatis habere, quantum ex se habuisset, si nunquam in Gratiani collectione insertum foret, ut praeceteris testatur SS. D. N. Benedictus XIV, lib. vii *De synodo*, c. 15, n. 6; hinc sequitur quod praedictae leges nequeant dici canonizatae, quae tantum ex corpore juris civilis desumptae sunt.\*

(111. Advocati et procuratores nequeunt esse testes in causa cui patrocinium praestiterunt. *Communis*, textu expresso in l. *Mandari* 25, ff. *De testibus*, ibi: « Mandari cavetur, ut praesides attendant, ne patroni in causa, cui patrocinium praestiterunt, testimonium dicant, » cap. *Romanæ* 3, De testibus, in 6, ibi: « In appellationis causa is, qui appellantis procurator vel advocatus in priori iudicio fuerat, non recipiatur in testem. » Et concordant can. *Si testes* 3, § *Patroni*, caus. 4, qu. 2 et 3, et cap. *Insuper* 6, in fine, De testibus. Et id propter praesumptam affectionem in illam causam, cui patrocinium praestiterunt.

(112. Neque iudices possunt esse testes in causis quas iudicarunt. *Communis*, per textum in c. *Dilecto* 40, De testibus. Et ratio est eadem, quae n. antecedenti. Tum quia iudex, actor, reus, testis, distinctae in iudicio personae esse debent; can. *Nullus unquam* 1, et can. *Nullus introducatur* 2.